

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola I: De historia rhetoricae

1. In arte rhetorica explicanda sequimur praecipue **M. Fabium Quintilianum**. Fuerit sane ingeniosior Aristoteles, eloquentior Cicero, omnibus certe rhetoribus dilucidior, utilior est Quintilianus. Qui XII libris non solum ipsam artem diligentissime complexus est, sed etiam de educatione puerili in primo libro et de moribus oratoris in ultimo egit. Quae nos tamen hoc semestri omittemus ipsius artis rhetoricae praecepsis contenti. Haec autem sic dispositus:

2,11-3,5 de quaestionibus generalibus et de historia rhetoricae

3,6- 6,5 de inuentione (de statibus, de generibus causarum, de partibus orationis & al.)

7,1-7,10 de dispositione

8,1-11,1 de elocutione (de uirtutibus dicendi, de scriptoribus legendis; de tropis, figuris, compositione)

11,2 de memoria

11,3 de actione = pronuntiatione (de uoce, gestu)

1. M.F. Quintiliani *De institutione oratoria libri XII*, rec. et expl. G.L. Spalding, 4 uol., Lipsiae 1798-1816

2. M.F. Quintiliani *Institutionis oratoriae libri XII*, ed. M. Winterbottom, Oxonii 1970

3. M.F. Quintilianus: *Ausbildung des Redners*, ed. et transtulit H. Rahn, Darmstadii 1972, 2¹⁹⁸⁸

2. Vt Q. in libro III facit, praefandum est de historia **rhetoricae**. Neque ea semper fuit, sed ante eam iam floruit **eloquentia**, ut in Homero uidemus. Rhetorica (ρήτορική) enim in doctrina est, eloquentia in usu. Item inter se differunt Latine *orator* et *rhetor* (attamen Graeci utrumque ρήτορα nominant). Initium autem rhetoricae secundum Aristotelem fuit a. 467/6 a.Chr., „cum sublatis in Sicilia tyrannis res priuatae longo interullo iudiciis repeterentur, tum primum ... **artem et paecepta** Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse“ (Cic. Brut. 46). Ars (τέχνη) eorum in duobus potissimum constituisse uidetur: in partibus orationis (ut sunt exordium, narratio eqs.) et in probabilitate. Viderunt enim oratori pro uero magis sectandum esse ueri simile (εικός). Huc pertinet illud „infirmiorem rationem firmiorem reddere“ (τὸν ἥπτω λόγον κρείττῳ ποιεῖν), ubi non de causa iusta et iniusta agitur. Ac rhetoricae dicuntur definitius opificem persuasionis (δημιουργὸν πειθοῦς). Eorum artes figuris elocutionis auxit Gorgias. Quem multi rhetores secuti sunt, ut Protagoras, Prodicus, Hippias, Thrasymachus, alii, qui etiam alias artes iuuentutem docebant. Vocabantur autem sophistae.

4. M. Fuhrmann: *Einführung in die antike Rhetorik*, Monachii / Turici 1984 (et saepius)

5. W. Stroh: *Die Macht der Rede: eine kleine Geschichte der Rhetorik* [...], Berolini 2010

3. Omnes qui Athenis docebant ut inutiles accusavit fere a. 390 **Isocrates** libro *In sophistas*, cum ipse Gorgiae discipulus esset. Maxime autem is uexauit philosophos Socratis, qui certam ueritatem se docere profiterentur. Rhetoricae quam ipse docebat *philosophiae* nomine ornauit. Huic respondisse uidetur **Plato** in *Gorgia*. Qui primus artem esse rhetoricae negauit quod iucundum quaereret, non bonum. In Phaedro autem eam reprehendit quod dialectica careret et animorum cognitione. Quod ex parte sanauit **Aristoteles** philosophus in sua *Arte rhetorica*, ubi tres probationes distinxit: argumentatione (λόγῳ), moribus dicentis (ἡθεῖ), affectibus commouendis (πάθει). At in certamine rhetorum et philosophorum diu rhetores uincebant. Quibus magnum auxilium saec. II attulit **Hermagoras** *Artibus rhetoriciis* suis.

6. H.v. Arnim: „Sophistik, Rhetorik, Philosophie [...], in: *Leben und Werke des Dion v. Prusa*, Berolini 1898

7. W. Stroh: „Philosophie u. Rhetorik in d. antiken Bildungsgeschichte“, in: *Antike im Dialog*, Spirae N. 2011

4. Rethores Graeci inde a saec. II etiam **Romae** docebant, Graece scilicet. Latinas declamationes instituebat a. 93 Plotius Gallus, paruo successu. Latinam rhetoricae scribere incohauit **Cicero** in libris *De inuentione*. Quem secutus uidetur **Auctor ad Herennium** q.d. Tum Cicero in dialogo *De oratore* de perfecto oratore quaesiuit, item (sed alia ratione) in *Oratore*. Adumbravit in *Bruto* Romanae eloquentiae historiam. Vis eloquentiae temporibus Caesarum deminuta, non extincta est. Alioquin non tam floruisset Quintilianus.

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola II: Quaestiones generales: Quid sit rhetorica. Sitne ars?

5. Rhetorica quid sit, primum quaerendum est (Q. 2,15). Frequentissima autem **definitio** uult eam esse *uim persuadendi* siue *opificem persuadendi*. Quam Q. dubitanter Isocrati tribuit, legitur autem primum in *Gorgia* Platonis. Idem alii aliis uerbis dicunt, ut Cicero: *dicere ad posite ad persuadendum*. Sed ne huic quidem, quem tantopere admiratur, Q. assentitur, qui ista omnia improbat. Ipsum aspectum corporis interdum *persuadere* dicit, ut in defensione Aquilii cicatricosi et in papillis Phrynes cognosci potuerit. Quod si quis illum finem augeat, ut sit *uis dicendo persuadendi*, Q. contra disputat dicendo persuadere etiam *meretrices, adulatores, corruptores*, quos oratores negat (cum uiri boni non sint). Neque oratorem semper persuadere. Quare Aristotelem dixisse rhetoricam esse *uim inueniendi omnia in oratione persuasibilia*. Sed Q. ait rhetoricam non solum ad inuentionem pertinere. Ergo explosis his et sescentis aliis probat Stoicorum definitionem: *rheticam esse bene dicendi scientiam*. In ea enim inesse putat et omnes orationis uirtutes et mores oratoris, *cum bene dicere non possit nisi bonus*. Huic autem sententiae, quae ei summopere cordi est, etiam Platonem in ipso *Gorgia* adstipulari putat. – Sed id et a Stoicorum doctrina aliquantum et a ueritate uitae multum abest; omnisque Q.i *Institutio* magis ad peruationem quam ad honestatem spectat.

8. T. Reinhardt / M. Winterbottom (edd.,comm.): *Quintilian Institutio oratoria, Book 2*, Oxonii 2006

6. De secundo loco, **num utilis** sit rhetorica (2,16), omnes rhetores consentiunt aliis tamen aduersantibus, qui eloquentia saepe poenis scelestos eripi, bonos damnari et similia clamant. Sed nec propter uenena cibis, propter latrones gladiis abstinentium esse Q. monet: si uero orator bonus sit, ut uult, rhetoricam esse utilissimam. Ac deum dicendi facultate homines separauisse a ceteris, nec quicquam pulcrius esse quam communibus uerbis ad oratoris unicam famam peruenire. – Diligentius autem fortasse hunc locum persecutus est Aristoteles.

7. Tertia quaestio, rhetorica **num ars** esset (2,17), diu disputata est – quam Q. tamen expeditissimam credit: Qui negent, magis id ingenii exercendi causa facere. Fuerunt sane multi, quos Q. enumerat (Platone tamen omissio): Aristotelem in *Gryllo*, Critolaum Peripateticum, Epicurum, alios. (Diligentissime autem post Q.m Sextus Empiricus *Contra rhetores* hanc causam tutatus est). – Atque hic notandum est, quid *ars* siue *τέχνη* esse credatur. Est autem id quod docetur et discitur, tum quod certa scientia nititur, denique quod constat e partibus inter se cohaerentibus (ut sit quasi „System“). Vnde iuris artem nondum esse putauit Cicero, de grammatica arte nemo dubitauit. – Contra rhetoricam igitur dicunt: (1) eam *falsis adsentiri*. Quod Q. concedit, cum tamen ipsa in falsa opinione non sit. Deinde (2) *non habere certum finem*. Quem Q. in bene dicendo positum putat, quem finem orator, etiam si non uincat, assequatur. Tum etiam (3) uitiis eam uti, quia *falsum dicat et affectus moueat*. Id, cum ex bona ratione profiscatur, etiam necessarium esse Q. affirmat. Porro (4) eam, cum argumenta in utramque partem suppeditet, contrariam ese sibi. Recte Q. monet hic causam cum causa, non rhetoricam ipsam secum pugnare. Denique apud ipsum Ciceronem (de or. 2,30) legitur (5): *artem earum rerum esse quae sciantur, oratoris actionem opinione contineri*. Quod Q. parum apte refutat, cum in ceteris quoque artibus multa incerta esse dicit. – Ipse autem artem esse eam comprobatur ex definitionibus Stoicorum, quorum notissima est: *artem constare ex perceptionibus consentientibus et coexercitatis ad finem utilem uitae*.

8. Minora breuius tractat: rhetoricam esse artem actiuam (πρακτικήν), cum tamen aliqua habeat etiam e ceteris artibus (2,18). Deinde tam naturam in ea quam doctrinam requiri (2,19). Denique quod maximum putat (2,20): esse **uirtutem**, ut etiam philosophis compluribus (et Crasso apud Ciceronem) uisum sit. Id quod comprobatur e uirtutibus, quae oratori necessariae sint, ut iustitiae et honestatis cognitio aut fortitudo. Neque id tolli si mali interdum bene aliiquid dicere uideantur. **Materiam** autem rhetoricae esse omnes res, de quibus dicendum sit (2,21). Quod iam Gorgiam uidisse dicit, qui ad omnia respondere paratus erat.

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola III: De partitionibus rhetoricae, generum causarum, statuum

9. Quae Q. adhuc tractauit, magis philosophi sagacitatem quam rhetoris diligentiam requirebant. Nunc iam in medullam rhetoricae peruenimus, cum illam diuidimus. Ipsius autem **rhetoricae partes** quinque sunt (3,3): **inuentio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio** (actio). Sic fere omnes, Cicero autem in *Partitionibus oratorii* (1,3) nouitatis cupidior Platonico more inuentionem in rem et dispositionem diuisit, elocationem in uerba et pronuntiationem, ut, si memoriam addas, tres partes essent. Quidam quinque partibus sextum *iudicium* adiunixerunt, sed id quamquam sine dubio necessarium est, Q. rectissime dicit primis partibus admiscendum esse. Nonnulli autem has quinque non partes rhetoricae, sed *opera oratoris* esse putauerunt. Quod Q.o displicet. Etiam minus audiendi sunt ei qui nostro tempore pro partibus rhetoricae de *officiis oratoris* loquuntur. Nam ea secundum Ciceronem (et Aristotelem) sunt in docendo, conciliando (delectando), mouendo (Q.3,5,2 sq.). Quae ubique adhibenda sunt, partes rhetoricae autem quasi ordinem orationis excogitandae sequuntur.

9. J. Adamietz (ed., comm.), *M.F. Quintiliani Institutionis oratoriae liber III*, Monachii 1966

10. R. Volkmann, *Die Rhetorik der Griechen und Römer*, Lipsiae 21885

10. Distinguenda ab illis partibus sunt, quae Q. (3,4) secundum Ciceronem uocat **genera causarum**, inuenta ab Aristotele (rhet. 1,3). Ea tria sunt (quos Q. hoc ordine enumerat): **laudatiuum (aut demonstratiuum), deliberatiuum, iudiciale**. Laudatiuum (quod etiam uituperatiuum esse potest) spectat ad delectationem auditoris, in deliberatiuo datur consilium (quod nomen ad eum, qui eget consilio, non ad dantem consilium pertinet), in iudicali agitur de causis. Aristoteles autem subtilius quam uerius demonstratiuis causis honestatem, deliberatiuis utilitatem, iudicalibus iustum adiunxit. Quod Q. iure respuit. – Adicit (3,5) minores distinctiones: (1) Comparatur facultas dicendi **natura, arte, exercitatione**. (2) Quaestiones sunt **in scripto** aut **in non scripto** (secundum Hermagoram). De quo mox. (3) Item sunt (ut idem Hermagoras docuit) **finitae** (si de certis personis aut factis agitur) aut **infinitae** (cum in uniuersum quaeritur), ut tamen saepe ab illis ad has excurrendum sit.

11. Longissima est Q.i disputatio de **statibus** (s. constitutionibus), quam doctrinam Hermagoras elaborauit. Ea per se nil ualere uidetur, sed oratori copiam argumentorum utilium ministrat. Status autem definiri solet *prima causarum conflictio* (3,6,4), quod a Q.o subtiliter emendatur in id *quod ex prima confictione nascitur*. Obscurum id uidetur, sed exemplo illustrius fiet. Accusator ait: „Sacrilegium fecisti.“ Reus: „Non feci.“ Haec est causarum conflictio, unde nascitur quaestio: Feceritne sacrilegium. Coniectura facienda est iudicibus, num fecerit. Vnde hic status **conjecturalis** siue conjectura uocatur. Sin reus respondeat: „Fateor me fecisse, sed simplex furtum fuit, non sacrilegium“, alia quaestio oritur: Quomodo definiendum sit quod fecit. Vnde hic status dicitur **definitionis**. Tertius autem status est **qualitatis**, cum iure se fecisse reus argumentatur et iudex quaerit, quale id sit (i.e. sitne iustum an iniustum) quod fecit. Adstipulatur igitur Q. (3,6,80) Ciceroni, qui breuissime tria in controuersiam uenire posse statuit: *sitne? quid sit? quale sit?* (orator 45). Multi addunt quartam **translationem**, cum reus actionem in se intendi non iure clamat; sed eum statum ut infirmum tantum admisceri debere aliis Q. dicit. Vtilitas autem statuum in eo est, quod rhetores singulis, quos etiam in plures partiuntur, multos locos (siue argumentorum sedes) attribuunt. Quos optime Cicero in secundo libro *De inuentione* explanat, Q. paene omittit.

12. Sed haec omnia pertinent tantum ad **genus rationale**, quod Hermagoras separauit a **genere legali**. Nam in illo de facto iudicando, in hoc de scripto interpretando agitur (nec solum de legibus scriptis, sed etiam de testamentis, pactis etc.). Eius quoque quatuor species sunt, saepius quaestiones dictae quam status. Quas tamen simulacra esse statuum illorum Q. putat (3,6,88). Frequentissima quaestio autem est **scripti et uoluntatis**, ubi scriptor aliud scripsisse, aliud sensisse arguitur; deinde **legum contrariarum, ambiguitatis, ratiocinationis** siue collectionis (ubi id quod scriptum non est, e simili lege colligitur).

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola IV: De locis generum causarum. De exordio siue prooemio

13. Q.i praecepta maximam partem ad genus iudiciale spectant. Tamen etiam de ceteris dicit. Ac **laudatiuum** (s. demonstratiuum, 3,7) monet saepe deliberatiuo et iudicali admixtum esse, multa eorum autem esse in sola ostentatione. Laudantur **dei** propter maiestatem, uim, inuenta, originem. Multa in **hominibus** celebrantur: parentes, corporis animique bona. Atque hic aut per gradus aetatis aut per singulas uirtutes uirum prosequimur Idem loci sunt in uituperando. Est autem quaedam uicinitas uirtutum uitiorumque, ut parcus dicatur auarus: Qua cum fallere possit orator, id nemini nisi uiro bono communi utilitate ducto Q. concedit. Ac respiciendum esse monet, apud quem dicas. Breuior est de urbibus, operibus, locis.

14. In **deliberatiuo** genere (3,8), ubi suadetur aut dissuadetur (tam in ueris causis quam in suasoriis scholasticis), saepe prooemium et narratio omittenda sunt, quoniam auditor iam fauet ei quem consultit neque rem ignorat. Tria autem spectanda sunt: (1) *quid sit de quo deliberetur*, (2) *qui sint qui deliberent*, (3) *qui sit qui suadeat*. In primo (1) maxima quaestio est, num fieri possit; deinde utrum materia simplex an duplex sit. Hic e tribus partibus, qui sunt sc. **honestum, utile, necessarium**, tertium (de quo deliberari non potest) summouet; ut addatur „**possibile**“ permittit. Iucunditatem autem subiungit utilitati. Maxima pugna autem cum sit inter honestum et utile, saepe qui honestum defendunt, omnia honesta esse utilia clamant, contra utilitatis patroni, quod aduersarii honestum, id uanum et ambitiosum dicunt. In deliberantibus (2) mores spectandi sunt: Difficile est turpibus honesta, difficilius bonis inhonesta suadere; quae uerbis mitiganda erunt. De persona suadentis (3) Q. pauca dicit, sed plurima de prosopopoeiis praecipit, quae plures in scholis quam in foro uersantur.

15. In genere **iudicali** (3,9-11) Q. primum de partibus orationis disputat (unde partitionem et excessum secludit), deinde distinguit inter causas simplices (ut furti) et coniunctas (ut repetundarum) et comparatiuas (ut in diuinationibus). Sequuntur subtilitates ab Hermagora inuentae. Hic distinguitur inter quaestionem, rationem, iudicationem, firmamentum. Vt in Milone *quaestio* sit qualitatis, num iure Clodium occiderit, *iudicatio* coniecturalis, an Clodius insidias fecerit. Sed propter haec minus utilia Q. ipse Hermagoram nimis diligentem dicit.

16. Quae inde a l. IV sequuntur, pertinent ad causas iudiciales. Ergo inuocato Caesaris numine transit ad **principium s. exordium** (aptissime dictum **prooemium**). Vbi Q. utilissima dat praecepta (4,1) non magis e libris quam ex usu sumpta. Ac res omnis in eo est, ut iudex ad ceteras partes audiendas praeparetur. Quod omnium opinione euenit, cum is beniuolus, attentus, docilis fiat. **Beniuolentia** aut a personis aut a causis ducitur. Atque hic alias doctores Q. reprehendit, quod tantum de litigatore, aduersario, iudice dixerint, partes actoris omiserint. Actori enim maxime curandum esse ut uir bonus esse credatur, ut non studium aduocati uideatur afferre, sed paene testis fidem. Quod efficiet, si se amicitiae, officii, rei publicae causa ad agendum uenisse docebit. Etiam si se imparem facundiae aduersarii queretur: laudanda igitur uidetur *illa ueterum circa occultandam eloquentia simulatio, multum ab hac nostrorum temporum iactatione diuersa*. Iudex autem modeste sic laudabitur ut uirtutes eius ad utilitatem nostrae causae referamus; cuius mores antea explorauisse prodest. Eum affectibus commoueri iam hic decet, sed illi parcus et modestius praetemptandi, non effundi ut in epilogis debent. **Attentus** autem fit iudex, si res agi uidetur noua, magna, atrox, pertinens ad exemplum. Item si dicturos nos breuiter neque extra causam profitemur. Attentum et **docilem** reddemus, si breuiter summam rei, de qua ei cognoscendum sit, indicamus. Interdum tamen intentio iudicis etiam minuenda est. Nec numquam in causa admirabili aut turpi, ubi frons causae non satis honesta uidetur, **insinuatione** opus est, quae subrepat animis. Hic in uniuersum ualet: *si causa laborabimus, persona subueniat, si persona, causa*. Multum gratiae autem prooemium habet, quod ex aduersarii oratione ducitur, quoniam non domi compositum uidetur. Dissimulanda enim maxime in prooemiis eloquentia est.

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola V: De narratione, egressione, propositione, partitione

17. Si duo necessaria Aristoteles dixit, *prothesin* (nempe aperire quid probaturus sis) et *pisteis* (nempe id probare), **narratio** (4,2) ad priorem partem pertinet. Hic accusator exponit, quid factum esse dicat, item reus siue patronus. Etiam ei, qui se fecisse neget, narrandum esse Q. contra Celsum docet, idque probat exemplo Vliris, qui Aiacem interemisse dictus sit (9-13). Tantum ubi de facto constet, de iure ambigatur, narrationem superuacuam esse (4-8). Saepius quaeritur, num narratio prooemio utique subienda sit. Quod Q. Ciceronis exemplis usus negat, in scholis sic semper fieri concedit (28). Est autem narratio, ut optime definitur, *rei factae aut ut factae utilis ad persuadendum expositio* (31). Debet autem esse secundum auctores plurimos *lucida, breuis, ueri similis*, unde tertia uirtus fere maximi momenti est. Nam etiamsi quis uera profert, debent esse credibilia (34-35)

18. Dilucida erit narratio, si quis uerbis propriis utitur, etiam pronuntiatione eo intentus ut iudex intellegat. Quod multos neglegere Q. dicit magis studiosos ut actio sua placeat quam ut causa intellegatur. **Breuis** narratio erit, si *inde coeperimus rem exponere, unde ad iudicem pertinet*, si ad causam superuacula omittamus. Vitanda etiam *Sallustiana breuitas*, quae otioso lectori aptior est. Multa etiam per praeteritionem in probationem differenda sunt (40-51). **Credibilis** autem erit, si mores personis apti dantur et *semina quaedam probationum inseruntur* earum, quas postea tractaturi sumus. Quae si desunt, rem fatebimur uix credibilem, sed ueram – „*et hoc maius habendum scelus!*“ Optimae praeparationes sunt latentes, quod Q. e Ciceronis narratione in Miloniana probat.

19. Si autem **res contra nos** est (quam *aliqua iusta ratione suscepimus*), tamen narrandum est, sed quaedam adicienda, mutanda, occultanda erunt. Etiam *uerbis eleuare quaedam licebit*, ut luxuria liberalitatis nomen habeat etc. (66-77). Nec semper **ordine** temporum narrandum est, sed eo quo expedit. Quod uariis figuris fieri potest: aut simulabimus aliquid nobis excidisse aut causas subiungemus. Interdum etiam saepius narrabimus, ut Cicero pro Cluentio: *amentis est enim superstitione praceptorum contra rationem causae trahi* (85; cf. 2,13,1-8). In **falsis** expositionibus autem lex est *mendacem memorem esse oportere*. Hic pars eorum quae Q. docet (praesertim de *coloribus*) ad declamationes spectare uidentur (88-110). Egressiones saepius adhibendas censem, etiam affectibus utendum; sed praecipue narrationem *gratia et uenere exornandam* esse. Nam *credit facilius quae audienti iucunda sunt*. **Sententiis** in narratione etiam Ciceronem usum esse docet – eis *temporibus quibus omnis ad utilitatem potius quam ad ostentationem componebatur oratio* (122). Iterum in oratores deprauatos sui temporis inuehitur, cum de auctoritate narrantis dicit, qui suspicionem calliditatis fugere debet: *at hoc pati non possumus et perire artem putamus, nisi appareat* (127).

11. Chr. Neumeister: *Grundsätze der forensischen Beredsamkeit, gezeigt an Gerichtsreden Ciceros*, Mon. 1964

20. Egressionem (4,3), quam multi ut *laetum ac plausibilem locum iactationis* causa prooemio subiungunt, non addere debemus nisi post finem atrociorem narrationis *uelut erumpente protinus indignatione*. Ac plures per totam orationem possunt esse excursus. Interdum egredi cogemur noua re agentibus accidente, ut Cicero in Miloniana ea, qua usus est.

21. Propositione (4,4) est confirmationis initium, qua declaratur, *quid in quaestione uersetur*. Ut ille est maxime, *ubi res defendi non potest, et de iure quaeritur*. Potest autem esse aut simplex aut multiplex, ut cum Socrati obicitur et iuuentutem corrupisse et nouarum superstitionum auctorem esse. Quacum iuncta est **partitio** (4,5), quae est eorum, quae dicturi sumus, enumeratio. Ea omittenda est, si postea aliquid nobis excidisse simulaturi sumus aut si ita iudicem uolumus fallere, ut nesciat quid agamus. Duplex partitio est, si dupli statu utimur, ut in hoc: „*si occidi, recte feci; sed non occidi*“; ubi multi primam partem superfluam putant. Recte tamen Cicero pro Milone. Interdum etiam simulabimus nos inuito reo aliquid dicere. Nec nimis minuta esse debet partitio, cuius tres partes plerumque sufficere solent.

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola VI: De argumentatione I: De probatione inartificiali et artificiali (I)

22. Orationis pars grauissima est **argumentatio**, quae in **confirmationem** et **refutationem** diuidi solet. Huic Q. dat totum librum (5). Probationes autem quibus uera esse nostra comprobamus secundum Aristotelem (quem hic omnes sequuntur) aut inartificiales sunt aut artificiales: Hae ab ipso oratore arte duce excogitantur, illae extra artem positae ad oratorem deferruntur. **Inartificiales** autem sunt *praeiudicia, rumores, tormenta, tabulae, ius iurandum, testes*. Quae *ut ipsa per se carent arte, ita summis eloquentiae uiribus et adleuanda sunt plerumque et refellenda* (5,1). Ergo iniuria quidam hanc partem e rhetorica submouerunt.

23. Praeiudicia plerumque sunt de eadem aut de simili re iudicia facta. Vt in causa Cluentiana nonnulli iudices, quos Cluentius corrupisse dicebatur, iam in iudiciis damnati erant. Aut in Miloniana iam senatus aduersus Milonem iudicauerat. Hic patrono aliqua differentia causarum inuenienda est; uitanda tamen iudicum contumelia, quia iudex quisque etiam suam firmam uult esse sententiam (5,2). **Rumores** alter *consensum ciuitatis uocabit, alter sermonem sine auctore dispersum cui malignitas initium dederit* (5,3). Item **tormenta** (quae sunt seruorum quaestiones) alter *uera fatendi necessitatem, alter causam falsa dicendi* (propter patientiam aut ipsam infirmitatem: 5,4). In **tabulis** maxime de de scelere aut igorantia signatorum disputatur (5,5). Inter probationes etiam **ius iurandum** habetur, quod offerri aut exigi, recipi aut recusari potest. Hic non recipere aut recusare difficile est (5,6).

24. Maximus tamen patronis circa testimonia sudor est (5,7). (Vbi Q. e longo iudiciorum usu commodissima dat praecepta.) Facilior est pugna contra tabulas, maior contra testes praesentes. Atque hic loci communes sunt et pro testibus et aduersus testes. Tum inuadere possumus in tota genera testium aut in singulos. Id autem fit aut permixtum in oratione perpetua, qua iudex praeparandus est ad testes audiendos, aut separatim in interrogatione, quae orationes continuas sequitur. Diuersa autem ratio adhibenda est uoluntariis testibus et eis quibus lege denuntiatur (quod solum accusatoribus licet). **Voluntarii** testes nostri antea domi percontacionibus uersandi sunt, ne postea in iudicio ab aduersario interrogati titubent. Maxime cauendum est ab eis, quos aduersarius dolose subornat, qui causae profutura se dicturos pollicentur, tum nocitura proferunt. Atque id maxime cum mendacia promittunt. – Ei **quibus denuntiatur**, si laedere reum uolunt, curandum **accusatori**, ne cupiditas appareat. Felici ingenio autem interrogantis opus est, ut ex inuito teste id extorqueat quod dicere nolit. Cuius artis *neque disciplina ulla in scholis neque exercitatio traditur, et naturali acumine aut usu contingit haec uirtus* (5,7,28). Quare consulendi dialogi Platonis. Potest etiam eo adduci testis ut plura pro reo dicendo ei etiam noceat. Hic **patronorum** interrogatio eo facilior est, quod iam sciunt quod quisque testis dixerit. Ac maxime prodest causas exponere, quibus quisque reum laedere uelit; utile est etiam singulorum testium mores nosse. – In **interrogatione** autem uerbis e medio sumptis opus est. Pauca Q. dat praecepta, quomodo testes inter se comparandi, et inter argumenta testesque quaerendum sit; paucissima etiam de ominibus et oraculis.

25. In probatione artificiali Q. non id facit, quod Cicero (in inu.) aut alii fecerunt, ut singulis statibus sui loci tribuantur; quod in lib. VII differtur). Sed eam sine respectu statuum diuidit in signa, argumenta, exempla. **Signa** autem Q. non definit, sed diuidit in **necessaria et non necessaria**. Nam si qua mulier peperit, necessarium est eam coisse cum uiro (quod in contrarium non ualet) – de quo genere signi non lis est, ut uix ad artem pertineat. Signa non necessaria per se parum ualent, sed adiuuari ab aliis debent. Sic e ueste cruenta aliquis non continuo homicida conuincitur, sed augetur suspicio, si inimicus occisi fuit, si saepe uim minatus est etc. **Argumenta** autem Q. ea omnia appellat, quae Graeci enthymemata, epichiremata, apodixes, de quorum significationibus inter rhetores litigatur. Sed plerique enthymema esse imperfectum syllogismum uolunt (ut in illo „Socrates, quia homo est, mortal is est“, ubi omittitur „Omnes homines mortales sunt“); aliter tamen Aristoteles. Est autem *argumentum ratio probationem praestans, qua colligitur aliud per aliud* (5,10,12).

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola VII: De argumentatione II: De probatione artificiali (II). De refutatione.

26. In probatione artificiali excutiendi sunt **argumentorum loci** (5,10,20-125). Vbi Q. *locos* non appellat, *ut uulgo nunc intelleguntur, in luxuriem et adulterium et similia, sed sedes argumentorum, in quibus latent, ex quibus sunt petenda*. Possunt autem argumenta duci aut a personis aut a rebus. In **personis** respiciuntur genus, patria, sexus, aetas, mille alia, etiam nomen ipsum. In **rebus** autem quaeritur *aut quare aut ubi aut quando aut quo modo aut per quae facta sunt*, ergo: causa, locus, tempus, modus, instrumenta. Quae Q. frequentius ad statum coniecturalem pertinere fatetur, sed etiam in ceteris ualere affirmat, ut e *causa* haec finitio pendeat: *An tyrannicida sit, qui tyrrannum, a quo deprensus in adulterio fuerat, occidit*. Locus in hac: *Occidisti adulteros, quod lex permittit, sed quia in lupanari, caedes est; aut quod Ajax apud Ouidium: „Ante rates agimus causam et mecum confertur Vlices“* (met. 13,5 sq.). Aliud est genus locorum quod magis ad dialecticam spectat, ut a finitione, a diuisione, e similibus, e contrariis multaque talia. Quae si *per singulas species exsequi uelimus*, uerendum sit, ne *adstricti certis legum uinculis [...] naturam ducem sequi* desinamus. Nam omnia argumenta ante dicta sunt, quam praeciperentur: tum ea scriptores obseruata et collecta ediderunt. Bene exercitato oratori sine cogitatione *sponte quadam* argumenta apta se offerent.

27. Q. cum de **exemplis** (5,11) agit (quae erat tertia species probationum inartificialium), inducit illam Ciceronis (inv. 1,49, et Aristotelis, rhet. 1,2) distinctionem inter *ratiocinationem* (per enthymemata) et *inductionem* (per paradigmata), quae exemplis nitatur. Quod e dialogis Socratis demonstrari potest. Sunt autem exempla aut tota similia aut e maioribus ad minoribus aut alia: fontes eorum dicit etiam poeticas et Aesopias fabulas. Proximam exemplo dicit esse **similitudinem**, quibus aliquid magis illustratur quam comprobatur; adiungit etiam **auctoritatem**, quae potest esse populorum, sapientium, poetarum, deorum.

28. De **usu argumentorum** (5,12) Q. quae praecipit, sunt ingeniosiora. Ac primum ait firmitiora esse argumenta, quae e aduersario conuictio extorqueantur quam quae is fateatur. Tum, si grauiora argumenta deficiant, multa leuiora *si non ut fulmine, tamen ut grandine* nocere. In collocandis argumentis secundum *Homericam dispositionem* (Il. 4,299) *in medio sint infirma*, numquam in fine. Denique ipse se laudat, quod argumentorum sedibus contentus non infinitos locos communes proposuerit. Quod eo magis necessarium fuisse dicit, quod in scholis declamatorum iam solam uoluptatem, non utilitatem uero oratori aptam sequantur. Quorum orationes libidinosas, neruis carentes seruolis castratis adsimulat.

29. Refutatio (15,13) dupliciter intellegitur: est in ea pars tota defensoris (1) et utrique dicta ab aduersario refutanda sunt (2). Difficilius autem esse defendere quam accusare Q. argute demonstrat uel ex eo quod accusator praemeditata adfert, patronus etiam inopinatis occurtere debet. Cui primum intuendum est, num id, quod accusator protulerit, proprium sit iudicii an extra causam adlatum. Quae propria sunt, utique negari debent (nisi natura iudicis *deprecationem* admittit) nec silentio dissimulanda. Quod tamen interdum fieri licet in criminibus extra causam obiectis. Argumentis aduersarii autem aut totis occurrentum est aut sic ut in singula diducantur: Velut si cui, qui senem occidisse dicitur, obicitur quod heres fuerit, pauper, appellatus a creditoribus, magnam hereditatem sperauerit, mutaturum senem testamentum sciuerit, haec uniuersa urgent, singula paene iacent. Multum prodest singula argumenta accusatoris in suum commodum uertere totamque eius orationem ut crudelem aut superbam aut iudicibus ipsis periculosam denuntiare. Verba illius autem, si minus eloquenter dixit, ipsa referemus, sin acriter, nostris uerbis mitigabimus, ut pro luxurioso: „*obiecta est paulo liberalior uita*.“ De ordine promptum est praceptum: Qui agit, sua primum confirmet, tum contraria refutet; qui respondet, incipiat a refutatione. Maximum est autem prae se ferre fiduciam, ut de sua causa optime orator sentire uideatur. Vituperat autem Q. declamatores, qui ineptas contradictiones fingant, et Theodorum Apollodorumque rhetores, qui inter se rixentur, *an prius docendus iudex an mouendus*. Talia dicit eos praecipere, *qui ipsi non dicunt in foro*.

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola VIII: De peroratione. De affectibus.

30. Peroratio (6,1 Graece *epilogus*), quae ultima orationis pars est, duplicum rationem habet, cum posita sit in rebus et in affectibus. Res enim repetendae sunt per **enumerationem** (Graece *anacephalaeosin*), qua tota causa in memoriam iudicis reuocatur (nisi ea simplicior est). Odiosa autem est nuda repetitio, quare sententiis et figuris uarianda est. Quo in genere Q. Ciceronem excellere exemplis demonstrat. Saepe hic appellandus aduersarius aut hortandus est ut ad aliquid respondeat. Eam partem perorationis etiam philosophi permittunt, qui **affectus**, quae pars altera est, contemnunt, cum tamen eos *necessarios* uideamus, *si aliter obtineri uera et iusta et in commune profutura non possint*. Sic autem affectus plerumque diuiduntur, ut accusator ad iram et indignationem concitet, patronus ad misericordiam flectat; sed id interdum etiam uariatur. Totam causam orator hic ante oculos sibi ponat oportet, ut inueniat unde affectus moueri possint. Accusatoris autem est et atrocitatem facti omnibus modis augere et iudicem a miseratione auertere; ubi occupare debet, quae patronus dicturus sit eisque occurrere. Miseratio contra a patrono comparatur, si uirtutes rei commendat et mala quae eum, si damnatus sit, maneant demonstrat. Quod Cicero pro Milone mirifice fecit. Vbi etiam prosopopoeia usus est. Notandum autem est *nihil facilius quam lacrimas inarescere*.

31. Non dicendo solum, sed etiam faciendo et oculis quaedam ingerendo **lacrimae** mouentur. Squalidi inducuntur rei ipsi, item liberi eorum; gladii, ossa, uestes cruentae monstrantur, ut praetexta in Caesaris funere. Picturas tamen adferre dedecet. Neque in paruis litibus tragoe-diae mouendae sunt, et ea uitanda in miseratione quae, cum nimis scaenice fiant, ridicula uideantur. Cuius rei Q. lepidissima exempla e proprio uitae usu affert. Reprehendit autem declamatores, qui multa quasi tunc agantur simulant (ut „*tendit ad genua uestras supplices manus*“), cum re uera nil tale agatur. Caueat orator ne in hoc genere peccet: *nihil habet ista res medium, sed aut lacrimas meretur aut risum*. Sed contra lacrimas ab aduersario motas urbane dicta ualent; sed hic quoque modus tenendus est, ne ridiculus ipse fias. Certe in epilogis *totos eloquentiae aperire fontes licet*. (Quo loco Q. differentiam notat inter sua et Ciceronis tempora. Is enim eo praecipue Murenam iudicibus eripuit, quod dixit id esse salutare rei publicae, si Kal. Ian. duo essent consules; id *genus autem iam esse paene sublatum, cum omnia curae tutelaeque unius innixa periclitari nullo iudicii exitu possint*.)

32. Ea reperire, quae probationibus utilia sint, non pauci didicerunt. Sed **affectibus** (6,2) *iudicem rapere et in quem quis uelit habitum posse perducere*, hoc est, secundum Q., *quod dominatur in iudiciis*. Nam probationes faciunt, *ut causam nostram meliorem esse iudices potent, affectus praestant, ut etiam uelint*. Tum enim non curant ueritatem, sed similes sunt amatoribus caecis, qui de forma amicæ iudicare non iam possunt. – Sunt autem duae species affectuum, πάθος et ηθός, quorum alterum proprie *affectus* dicitur, alterum Romano nomine caret. Varie autem *ethos* intellegitur. Quod *mores* solent interpretari, Q. maullt esse *morum quandam proprietatem*; alii dicunt *pathos affectus concitatos, ethos mites atque compositos*, illud ut temporale, hoc ut perpetuum sit. Modo illud maius, hoc minus dicitur (ut amor *pathos*, caritas *ethos* sit), modo sunt diuersa, ut in epilogis, ubi *quae pathos concitauit, ethos solet mitigare*. Q. autem *ethos* uult ante omnia bonitate commendari, *ut mores dicentis ex oratione perluceant*. – De uerissimo affectu autem, qui *pathos* est, pauca addenda sunt eis, quae antea iam dicta sunt. Hic Q. praesertim agit de arte augendi quaedam incommoda eo, quod minora comparando ea quoque intoleranda dicimus. Atque haec laudatur in Demosthene δείνωσις. Quae sequuntur, experimento suo Q. se didicisse dicit: *summa circa mouendos affectus in hoc posita est, ut moueamur ipsi*. Nam iratum ira ipsa eloquentia carens eloquentem facit. Vbi nunc quidam Q.um derident, quod ea quasi noua dicat, quae iam Ciceroni (de or. 2,189) et Aristoteli (rhet. 1408 A 23) nota fuerint. Sed noua est ratio, qua Q. excitandos esse affectus, qui in potestate nostra non sunt, docet: Sunt in auxilium uocandae φαντασίαι, quibus res absentes ita animo repraesentantur, ut eas cernere oculis uideamur. Quod exemplis illustratur.

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola IX: De risu. De dispositione (I).

33. Affectibus apte a Q.o adiungitur **risus** (6,3) siue **ridiculum**, quod animos ab affectuum contentione et saepe a fatigatione reuocat. Quanta in eo difficultas sit, docent exempla summorum oratorum: *nam plerique Demostheni facultatem defuisse huic rei credunt, Ciceroni modum*. Cuius tamen urbanitatem Q. summopere laudat; reprehendit autem Tironem, quod in tribus libris de Ciceronis dictis plus studii in numero quam in iudicio posuisset. Egerunt autem de ridiculo Aristoteles primum, deinde Theophrastus, uberrime autem Cicero in lib. II De oratore (235-289), ubi Caesar Strabo facetissimus hunc locum uia ac ratione explanare conatur. Quem Q. in multis sequitur. Confitetur autem id neminem adhuc explicare potuisse, quid sit risus et unde concitetur. Quod nunc quoque ualet, cum uiri sagacissimi ut Arthurius Schopenhauer, Sigmundus Freud, Henricus Bergson in hanc rem inquisuerint. Veterum iudicia fortasse nimis simplicia uidentur. Nam Aristoteles in Poetica (5) ridiculum ($\gamma\epsilon\lambdaο\eta\sigma$) esse ait *peccatum quoddam et turpitudinem dolore et pernicie carentem*. Cicero similiter risum ponit in *turpitudine et deformitate quadam* (2,236), cui Q. addit: haec *turpia cum in aliis demonstrentur, urbanitatem, cum in ipsis dicentis recidant, stultitiam uocari*.

34. Sed quamquam risus *uim imperiosissimam* habeat, Q. dicit pauca esse eius paecepta, nullam exercitationem, eum *praecipue positum esse in natura et in occasione*. Distinguit autem uarias uoces, quae idem aut simile quid denotent: urbanitatem, uenustum, salsum, facetum, iocum, dicacitatem. Quae differentia notatur, cum *Demosthenem urbanum fuisse dicunt, dicacem negant*. Materiam autem sic disponit, ut ridiculum aut in rebus aut in uerbis inueniatur, usus autem eius triplex sit, cum *aut ex aliis aut ex nobis aut ex rebus mediis* petatur. Hinc patet magna copia locorum, cuius *species omnes persequi* ne Q. quidem in animo habet. - Addit autem quaedam paecepta de **altercatione** (6,4), quae temporibus Q.i post locum testium ita secuta uidetur, ut oratores inter se breuiter dictis decertarent.

35. Maximam partem **dispositionis** (7) Q. iam eo absoluit, quod inuentionem (in libris IV-VI) secundum partes orationis diuisit. Quod non primus fecit. Ac primi inuentores rhetoricae siue sophistae omnem artem, ut uidetur, ad illas orationis partes sic explicauerunt, ut nullum inuentionis et dispositionis discrimen esset. Tum Aristoteles distinxit, cum primum et alterum librum inuentioni, tertium elocutioni et dispositioni – notate ordinem! – daret. (Post eum memoria et pronuntiatio additae uidentur.) Hunc unus secutus est Cicero in libris De oratore, ubi inuentio et dispositio diligenter separantur, non autem Q. (qui potius rationem librorum De inuentione et Rhetoricae ad Herennium adhibet). Separantur quidem ab eo inuentio et dispositio, sed dispositionis paecepta plurima iam inuentioni dantur: Nil postea attinet de officiis prooemii, de utilitate propositionis etc. dicere. Quid igitur Q.? Primum in uniuersum quanti momenti rectus ordo sit, ex artibus architectorum, sculptorum, imperatorum probat. Demonstrant autem maxime orationes ab Aeschine et Demosthene in causa Ctesiphontis habitae. Sed propter infinitas litium formas Q. non omnia paecepisti posse fatetur: *sapiat actor et consilium a se ipso petat*.

36. Quae autem paecepta dat, pertinent maxime ad ordinem probationum. Atque hic primum uidendum est, sitne **intentio simplex** an **coniuncta**. Simplex est: „Occidit Gaius Quintum. „Coniuncta: „Occidit Gaius Quintum et uulnerauit Sextum.“ Atque accusator grauissima argumenta in initio et fine probationum ponere debet, patronus autem grauissimis statim occurrere, nisi quaedam leuiora palam falsa sunt; sed *ante actae uitiae crimina plerumque prima purganda* sunt (ut Cicero facere solebat). Interdum autem **defensio coniuncta** est eum in modum, ut idem crimen duobus statibus defendatur, uelut: „Si Gaius Quintum occidisset, recte fecisset (qual.); sed non occidit (coni.)“. Hic *uis quaestionum semper crescere debet et ad potentissima ab infirmissimis peruenire*. Aequitas autem si iuri opponitur, solet in fine collocari, *quia nihil libentius iudices audiunt*.

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola X: De dispositione (II). De elocutione: De uirtutibus dicendi (I)

37. Quae Q. de **dispositione** exponit, e maxima parte ad **status** pertinent (7,2-10). Qui per se naturales sunt neque arte aliqua agent, sed habent locos utilissimos, qui recte disponi debent. Vt in statu **coniecturali** (*num fecerit?*), si dubium est, num omnino aliquid factum sit, accusator primum probare solet factum esse, tum a reo factum esse; ordine contrario patronus. Si tantum de auctore quaeritur, utrique ordiendum est a (1) persona i.e. uita anteacta, tum trans-eundum ad (2) causam; nam persona magis generalis est. (Quamquam Cicero causam praeferre personae solet.) Sequitur probabile (3) *an uoluerit*, tum (4) *an potuerit*, denique quaestio (5) *an fecerit*, quae ad res antecedentes et consecutas spectat. In **definitionis** statu Q. primum uim definitionis explicat, quae habeat genus, speciem, differentiam, proprium. Tum certum esse aut de nomine, de re incertum, aut rem manifestam esse, de nomine non constare. Velut *an deprehensus in lupanari cum aliena uxore adulter sit*. Vbi tria subtiliter distinguit: *an hoc sit; hoc an hoc sit; an et hoc et hoc eodem modo sit appellandum*. De dispositione hic admodum pauca dicit. Vnum exemplum quod accuratius tractat (de adulescentibus inuitis occisoribus) ad quaestionem *an hoc sit* pertinet. In statu **qualitatis** tres sunt species (I) defensionis: Si ipsum factum per se honestum dicimus, (1) *absoluta* appellatur; si rem *adsumptis extrinsecus auxiliis tuemur*, uocatur (2) *adsumptua*; proximum est in alium transferre crimen, quae est (3) *translatio*. Si a defensione excludimur, utendum est (II) **excusatione**, quae aut ignorantiae aut necessitatis aut fortunae erit. Restat ultima (III) **deprecatio**, quae uix in usitato iudicio, sed in senatu aut apud principem locum habet. Esse alias quoque causas qualitatis putat, ut diuinationes (quod satis mirum est).

38. Sed haec omnia sunt in genere rationali. Est autem etiam **genus legale** (7,6-9), quod quatuor quaestiones uel status habet. Prima est (1) **scripti et uoluntatis frequentissima inter consultos quaestio**. Cuius genera Q. duo esse uult: primum cum in scripto sit aliqua obscuritas, ut in hac: EX MERETRICE NATVS NE CONTIONETVR; alterum ubi scriptum manifestum sit. Hic qui scriptum tuetur, se etiam uoluntate adiuuari demonstrare conabitur. Sequuntur (2) **leges contrariae**, cum lex altera aliquid iubere, altera uetare uidetur. In (3) **collectione** non contra, sed supra scriptum disputatur, sic ut simile aliquid in scripto inueniamus. Denique multae species sunt (4) **ambiguitatis**. Tandem ad ipsam dispositionis artem Q. redit docetque eam uere oeconomiam causee dispositionem esse, *quae nullo modo constitui nisi uelut in re praesente possit*, eamque quasi imperatoriae uirtutis propriam dicit.

39. Elocutionis (8-11,1) *partem, ut inter omnes oratores conuenit, difficillimam* Q. credit: *hic studium plurimum; hoc exercitatio petit, hoc imitatio; hic omnis aetas consumitur*. Tamen cauendum est, ne res piae uerbis negligantur. Ac nimia diligentia etiam nocere potest. Est autem omnis elocutio aut in uerbis singulis aut in coniunctis. *In singulis intuendum est, ut sint* (1) *Latina*, (2) *perspicua*, (3) *ornata*, (4) *ad id quod efficere uolumus accommodata*. Nec tamen Q. hic suam partitionem diligenter seruat. Nam cum de (2) perspicuitate et de (3) ornatu dicit, etiam uerba coniuncta respicit. Tutius esset hic Ciceronem (de or. 3,37-212) sequi, qui elocutionem in illas quattuor partes, ornatum autem in singula et coniuncta diuidit. Sed pergamus audire Q.um. Sunt autem illae partes quattuor *uirtutes dicendi*, quas Theophrastus statuit. Ac de (1) **Latinitate** i.e. emendata loquendi ratione iam in primo libro, ubi de pueris educandis egit, monuit uitandos esse barbarismos (ut *adsentio*) et soloecismos (ut *mihi fuit pro*). Nunc excludit peregrina, *ut oratio Romana plane uideatur*. (2) **Perspicuitas** autem efficitur, cum uerbis propriis utimur, nisi ea sordida sunt, et uitamus obscuritatem, quae *fit uerbis ab usu remotis* (ut *atabulus*) aut homonymis (ut *taurus*), saepe etiam in coniunctione (ut *Gaium audiui percussisse Quintum aut etiam uidi hominem librum scribentem*). Quidam tamen circumeunt omnia copiosa loquacitate; immo sunt qui in hoc uitium etiam laborent, ut praceptor quidam (T. Liuio auctore) discipulos iussit sua obscurare, dicens *σκότιον*. Sed *non ut intellegere possit auditor, sed ne omnino possit non intellegere, curandum est*.

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola XI: De elocutione (II): De ornatu (I).

40. In **Ornatu** (3) oratorem plus sibi indulgere quam in primis uirtutibus Q. docet. Nam cum ceterae artes ad utilitatem causarum referantur et plerumque occultentur, hic se quoque commendat ipse orator et non solum *iudicium doctorum*, sed etiam *popularem laudem petit*. At ne causae quidem nihil ornatus prodest, quoniam *qui libenter audiunt, et magis adtendunt et facilius credunt*. Neque is tamen fuco, sed *sanguine et uiribus niteat*, quia *numquam uera species ab utilitate diuiditur*. Sed hic magna differentia est inter demonstratiuas et ceteras causas: illae, quoniam ad solum finem laudis tendunt, omnem ornatum aperte pree se ferunt, in his, ubi uera dimicatio est, ornatus debet *pressior et seuerior esse et minus confessus*.

41. De uerbis **singulis** haec Q. praecipit: *Perspicuitatem propriis, ornatum magis egere translatis*. Atque honesta plerumque turpioribus anteferenda sunt, nisi cum materia ipsa humilitatem desiderat. Maiorem dignitatem dant antiqua, modo ne ex ultimis tenebris repeatantur. Fictis uti Graecis magis concessum est, sed ne Romanis quidem interdictum. In sermone **coniuncto** *prima uirtus est uitio carere*. Vitetur igitur κακένφατον, quo sensus in obscenum detorquetur (ut si quis „cum nobis“ dicat). Item ταπείνωσις, humilitas, qua rei dignitas minuitur; ἔλλειψις, cum sermoni deest aliquid; ὄμοειδεια, quae uarietatis gratia caret; μακρολογία et πλεονασμός, cum uerba superuacua sunt, περιεργία, quae est superflua operositas; praecipue autem κακόζηλον i.e. *mala affectatio*, quod est *omnium in eloquentia uitiorum pessimum*. De quo se scripsisse meminit in alio libro (qui fuit *De causis corruptae eloquentiae*). Inter **uirtutes** primam nominat ἐνάργειαν, quae excedit perspicuitatem, eo quod res ante oculos ponit (qua in arte Cicero eminent). Tum maiorem lucem rebus inferunt similitudines. Pulcherrima saepe est breuitas, qua plura paucis comprehenduntur; etiam amplior uirtus ἔμφασις, quae *altiorem praebet intellectum quam uerba per se ipsa declarant* (ut illud uulgare *uirum esse oportet*). Saepe etiam ἀφέλεια inadfectata inter uirtutes habenda est.

42. Sed quia *uis oratoris omnis in augendo minuendoque consistit*, prima eius species est in ipso rei nomine. Vt cum Cicero Clodium *meretricio more uiuere*, Caelium, cui longus usus cum ea fuit, *paulo liberius salutasse* eam dicit. Vis crescit, si leuiora uerba anteponantur, ut idem: *non furem, sed ereptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae* etc. Simile est incrementum, ut in *facinus ..., scelus..., parricidium ...* (quam nos nunc grammatici parum accurate *climacem* uocamus). Incrementum fit etiam per comparationem, ut de Antonio uomente: *si hoc tibi in ... poculis tuis accidisset, quis non turpe duceret? In coetu uero populi Romani!* Cuius generis Q. plurima exempla affert. Amplificationem efficit etiam *congeries uerborum ac sententiarum idem significantum*, ut Cicero apud Caesarem: *Quid ... tuus ille, Tubero, destriktus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum?* etc. Idem in deminutione ualet.

43. Quod multi **sententias** *praecipuum ac paene solum putant orationis ornatum* – notant autem eo uerbo *lumina praecipue in clausulis posita* – de toto hoc genere Q. separatim dicit. Sententiae, quia similes decretis uidentur, appellabantur primum uoces uniuersales, ut illud *obsequium amicos, ueritas odium parit*. Maiorem uim accipiunt, cum a communi ad proprium transferuntur. Sic illud *nocere facile est, prodesse difficile* Medea apud Ouidium uertit in *seruare potui: perdere an possim rogas?* Talia apud antiquos rariora fuerunt; nunc autem Q. ait multos uelle, *ut omnis sensus in fine sermonis feriat aurem*, ut turpe sit *respirare ullo loco, qui adclamationem non petierit*. Ac multas sententias recentium quoque Q. laudat ut illud Senecae sub persona Neronis occisa matre scriptum: *saluum me esse adhuc nec credo nec gaudeo*. Quare ne eis quidem assentitur qui sententias omnino damnent. Quas tamen uelut oculos quosdam eloquentiae credit, uetustatem autem ex omni parte colendam esse negat.

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola XII: De elocutione (III): De ornatu (II): De tropis.

44. Magna pars ornatus est in **τρόποις** (motibus), quam partem artis (quod Q. non dicit) Stoici maxime elaborauerunt. *Est autem tropus uerbi uel sermonis a propria significatione in aliam cum uirtute mutatio.* Frequentissimus eorum est **μεταφορά** siue translatio. Tranfertur hic uerbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo (1) aut proprium uerbum deest aut in quo (2) translatum melius est. Velut necessitate (1) rustici „gemmas“ in uitibus dicunt, nos „durum hominem“; significandi gratia (2) dicimus „incensum ira“, „eloquentiae fulmina“. Est autem translatio breuior comparatio (aut similitudo). Comparatio: „ut leo est“; translatio: „leo est“. Hic Q. uarias species translationum exponit. Est autem maxima uis earum, cum inanimis rebus quasi animalibus sensus damus, ut in „pontem indignatus Araxes“ (Verg. Aen. 8,728). Vitanda sunt spurca, ut „stercus curiae Glaucia“, et dura, ut „Iuppiter ... niue conspuit Alpes“, ubi tamen poetis plus licet quam oratoribus. Id etiam obseruare debet **συνεκδοχή**, qua ex uno plures intellegimus, e parte totum, e specie genus, e praecedentibus sequentia uel omnia haec contra: recipit prosa „tectum“ pro domo, non „puppem“ pro naui. Maxima libertas est in numeris, ut cum pro Romanis „Romanus“ ponitur aut cum Cicero (de se solo) „oratores uisi sumus.“ Similem Q. esse dicit **μετωνυμίαν** (cuius partem alii synecdochen dicunt), cuius species fere hae sunt: ponitur auctor pro munere, „Ceres“ pro pane, „Venus“ pro coitu aut „Vergilius“ pro carminibus eius; item quod continet pro eo quod continetur, ut „bene moratae urbes“; quod efficitur pro eo quod efficit, ut in poetis „pallida mors“, in prosa „segne otium“.

45. **Ἀντονομασία** est, cum aliiquid pro nomine hominis ponitur, ut „Pelides“ pro Achille, „Romanae eloquentiae princeps“, pro Cicerone. Vix Romanis permittitur **ὄνοματοποία**, concessa eis, qui primi linguam formauerunt, ut in „mugitu“; uix etiam **πεποιημένα** ut illud „sullaturit“ et, quod Ouidius iocatus est, „uinoeo bonoeo“. Necessaria est **κατάχρησις**, abusio, in rebus quae suo nomine parent, ut cum „parricida“ matris aut fratriis interfector uocatur. Non toleranda uidetur Q.o **μετάλημψις**, transsumptio, frequentior apud Graecos qui Chiron Ἡσσονα appellant. Tantum ad ornamentum assumitur **ἐπίθετον**, quod tamen in oratoribus magis quam in poetis redundat. Aliud uerbis, aliud sensu ostendit **ἀλληγορία**, quae saepe constat e continuatis translationibus, ut illud Horati „O nauis, referent in mare te noui fluctus?“, quo nauem pro re publica, fluctus pro bellis ciuilibus dicit. Sine translatione in ecl. IX Vergili Menalcas pro Vergilio intellegendus est. Primo genere saepe utitur Cicero. Ac si obscurior est allegoria, fit **αἰνιγμα**, ut apud Caelium „quadrantaria Clytaemestra“.

46. Contraria ostendit **εἰρωνεία**, quam inlusionem dici solere Q. ait (sed usitator est dissimulatio). Quae *aut pronuntiatione intellegitur aut persona aut rei natura*. Saepe laudis simulatione detrahitur alicui (ut „C. Verres, homo sanctus et diligens“) aut cum uituperare uidemur, laudamus (ut illud „oratores uisi sumus et populo imposuimus“). **Περίφρασις**, quae dicitur circumlocutio, est quae unum pluribus uerbis dicit. Ea aut necessaria est (ut cum Sallustius „requisita naturae“ pro obscoenioribus ponit), aut ornatus causa adhibetur, quod apud poetas frequentius est (ut „tempus, quo prima quies mortalibus ... gratissima serpit“). **Υπέρβατον** poscit ratio compositionis, ne dura fiat oratio. Vulgo dicitur „secum“, etiam „quibus de rebus“, uerum hyperbaton apud Ciceronem est: „animaduerti ... orationem in duas diuisam esse partes“, pro „in duas partes diuisam esse“, quod incomptum esset. Sed id multos figuris uerborum adnumerare Q. fatetur. **Υπερβολή**, quae est ueri superiectio, fit cum aut plus facto dicimus, ut „minantur in caelum scopuli“ aut per similitudinem, ut „credas innare reuulsas Cycladas“ aut per comparationem „ut fulminis ocior alis“, sed aliis quoque. Exempla sumit Q. e Cicerone et Pindaro. Monet autem, ne hac potissimum in re modum excedamus.

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola XIII: De elocutione (IV): De ornatu (III): De figuris. De compositione. – De apto.

47. Figura est *conformatio quaedam orationis remota a communi ratione* (in qua non ut in tropo aliud pro alio ponitur). Figurarum autem duae sunt species: sententiarum (aut sensus) et uerborum (aut elocutionis). In **sententiarum figuris** prima est **interrogatio** ea, quae non sciscitandi gratia adhibetur, sed aut instandi aut admirandi aut inuidiam faciendi (est enim eius paene infinitus usus). Cui interdum ipsi exspectatum subicimus. Accedit **praesumptio**, qua occupamus quod aduersarius dicturus sit, **dubitatio**, cum simulamus nescire nos, quid dicendum sit, **communicatio**, cum iudices aut aduersarios consulimus, **licentia**, cum libere nos aliquid nos dicere fingimus, **personae fictio**, qua homines et deos et inanima loquentia inducimus, **ironia**, quae, si in paucis uerbis est, tropus putatur, si in longiore contextu figura. Diuersa est **emphasis**, *cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur*. Huic simile est quod Q. suo tempore potissimum **schema** uocari dicit, unde *controversiae figuratae* appellantur: In eo *per quandam suspicionem quod non dicimus accipi uolumus*. Huius *triplex usus est, unus, si dicere palam parum tutum est, alter si non decet, tertius uenustatis modo gratia adhibetur*. Horum generum exempla Q. adumbrat. Plures figuras ait exhiberi a Rutilio et Celso.

48. E figuris uerborum aliae grammaticae, aliae rhetoricae dici possunt: illud genus *loquendi rationem mutat*, hoc *maxime collocatione exquisitum est*. Primum uitio simile est, ut cum „timidi dammae“ a Vergilio dicuntur aut cum Cicero audet „inimicum poenitus est“. Quibus Q. addit et **parenthesin** et **apostrophēn**, unde transitus fieri uidetur ad genus rhetoricum. Hic multum ualet **geminatio**, quae modo simplex est – „a Corydon, Corydon“ – aut fit post aliquam interiectionem – „uiuis, sed uiuis non ...“ – aut initio membrorum: „nihihilne te ... nihil ..., nihil ...“ (quam nos nunc anaphoran dicimus). Si casus hic uariantur, fit **polyptoton**, cuius simile etiam in uerbis inuenitur. Sunt plurima huius generis alia, quibus rhetores, ut cuique placuit, uaria nomina dederunt. Apertior figura, ergo rarer adhibenda, est **gradatio** s. *climax*, cuius forma est: AB-BC-CD ... Sequuntur uaria genera **detectionis** et **paronomasias**; deinde ea, quae nunc e „parallelismo membrorum“ nasci dicimus: sc. **homoeoteleuton**, **homoeoptoton**, **isocolon**, **antitheton**. Maioris artis est **antimetabole**: „non, ut edam, uiuo, sed, ut uiuam,edo.“ Sed nimium figuris indulgere causae in iudiciis nocet.

49. Ultima pars ornatus compositio uerborum est, quam partem Cicero maxime elaborauit. Sunt qui horridum sermonem pro bene composito et numeroso malint, sed ignorant bonam compositionem etiam ad motus animorum pertinere. Ac uerborum series tres habet formas: incisa (commata), membra (cola), ambitum (periodon). In his autem tria sunt necessaria: ordo, iunctura, numerus – quae tamen Q. non accurate separat. Nam de **ordine** cum dicit, eam uult esse iuncturam uerborum, ut *numerus opportune cadens contingat*. De **iunctura** praecipit, ut uocalium concursus uitetur, maxime cum duae longae inter se committuntur. Quamquam etiam hiatus ille molle quiddam habeat. Hic addit nonnulla de pronuntiatione exeuntis -m, si in uocalem transeat, ut in „multum ille“. **Numeros** (rhythmus) a metris sic distinguit, ut in numeris temporis spatium solum notetur, in metris etiam ordo. Quod autem Cicero dicat *Demosthenis fulmina non tantopere uibratura, nisi numeris contorta ferrentur* (orator 234), ad metra pertinere credit. Rationem pedum ubique esse debere, sed eam *magis desiderari in clausulis*. Dat exempla – sed *optime iudicant aures*. Nec mirum ei uidetur *Latinos magis indulsisse compositioni quam Atticos*, quorum sermo plus uenustatis habeat.

50. Virtus quarta elocutionis in eo est, ut dicamus **apte**. Quod faciet *qui non solum quid expediatur, sed etiam quid deceat inspicerit*. Exemplum est Socratis oratio in iudicio. Idque eo magis ualere Q. putat, quod finis orationis non sit, ut persuadeamus, sed ut bene dicamus. Plerumque tamen quod deceat etiam prodesse. Vitanda maxime est uitiosa iactatio sui, item philosophiae professio. Aptanda est oratio personis oratoris, audientium, eorum pro quibus agimus, aduersariorum, etiam temporibus et locis. Quod optime fecit Cicero, *summus ille tractandorum animorum artifex*, in oratione pro Murena et in multis causis repetundarum.

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola XIV: De elocutione (V): De generibus dicendi. De comparanda eloquentia.

51. In appendice operis (lib. XII) Q. agit de uariis **generibus dicendi**, quae omnia ad elocutionem spectant. Diuiserat enim totam Institutionem in artem (III-XI), artificem (XII 1-9), opus (XII 10), ut nunc de **opere** dicendum sit. Hic non tam de perfecto opere agitur quam de diuersis dicendi modis, quorum alii aliis placent (ut in pictura aliis Zeuxis, aliis Parrhasius gratior est). Q. autem (1) uetus esse discidium putat inter **Atticos** oratores, pressos et subtile, et **Asianos**, inflatos et tumidos. (Sed non ante saec. I medium extiterunt qui se „Atticos“ uellent et Ciceronem ut „Asianum“ insectarentur.) Tum (2) de **Romanorum Graecorumque** eloquentia cum disputat, illos inuentione et dispositione similes Graecis dicit, non eloquendi ratione, quia asperitas linguae id uetet fieri. Quare *non possumus*, inquit, *esse tam graciles, simus fortiores*. Tertia (3) differentia est inter **habitam** orationem et **scriptam**, in qua quae-dam, quae magis temporis quam causae fuerunt, omittuntur – ut tamen *monumentum actionis habitae* maneat. Denique (4) illam Ciceronis de **tribus generibus dicendi** doctrinam explicat, nempe esse genus tenue, quod doceat, grande, quod moueat, medium quod conciliet aut delectet. Quae cum copia dicendi diuersa sint, omnibus tamen, ut res exiget, orator utitur.

52. Ad **eloquentiam comparandam** quae utilia sint, toto lib. X Q. exponit, ergo ornatui subiungit. Huc tamen pertinent etiam ea, quae antea lib. II de **declamatione** dixit, quam oratori maxime necessariam exercitationem putat. Cuius rationem non explicat, quia omnibus notum putat eam habere *suasorias iudicialesque materias*, sic ut *ueritati proximam imaginem reddat*. Quod eos non respicere dicit qui *magos et pestilentiam et responsa et saeuiores tragicis nouercas et alia magis adhuc fabulosa* inducant, quae *frustra inter sponsiones et interdicta* quaerantur. Quamquam fatetur adulescentes his thematibus gaudere, quae tamen stulta esse non debeant. Nec negat quasdam declamationes non profectus gratia dici, sed in ostentationem comparari: his autem concessum esse ut magis ad uoluptatem audientium declinent et generi epidictico similiores fiant. In quo genere ars minus occultari debet.

53. Necessaria ad uim dicendi obtainendam prima est **lectio**. Hic Q. praecipit, quomodo orationes recte legendae sint, nec tamen eis contentus est. Adiungit etiam historicos, philosophos, poetas; et immenso catalogo omnes scriptores Graecos Romanosque enumerat, qui quodam modo alere oratorem possint. Vnde notisima est comparatio Demosthenis Ciceronisque et iudicium de Seneca *dulcibus uitiis*. Hanc sequatur **imitatio**, quae per se tamen non sufficit nec solum ad uerba, sed ad consilium oratorum spectare debet. Apta imitatione suo tempore potissimum Q. fieri posse putat, ut perfectus orator consummetur, cum tot exempla bene dicendi supersint. Ex eis autem quae orator ipse sibi comparat plurimum ualet **stilus** siue usus scribendi, quod est fundamentum facultatis ex tempore dicendi. Vitanda hic est nimia celeritas: nam *cito scribendo non fit ut bene scribatur, bene scribendo fit ut cito*. Nocet etiam nimis anxia sollicitudo. Dictare Q. oratorem non uult neque in secretas siluas secedere; lucubrationem suadet et animi intentionem; ceras membranis praefert. Scriptionem autem sequatur **emendatio**. Multum prodest in scribendo Graeca uertere Latine, deinde e Latinis ipsis conuertere aliqua et uariare; possis etiam tua pluribus modis tractare. In thesibus ut exerceremur iam Cicero suasit; tamen adulescentes tali generi umbratico nimis assuescere non debent; sed potius more maiorum deligat sibi quisque aliquem oratorem, quem imitetur.

54. Cogitatione uti fere semper possumus, etiam cum scribere non licet. Quae tamen eum, cui in dicendo aliquid ex tempore obuenerit, impedire non debet. *Maximus uero studiorum fructus est ... ex tempore dicendi facultas*. Cuius multae sunt necessitates. Ad quam *opus est naturali quadam mobilitate animi*, ut in dicendo semper sequentia prouideamus, et *usu quodam irrationali*, quo *frequenter accidit ut successum extemporalem consequi cura non possit*. Huc faciunt rerum imagines siue *phantasiae*. Sed semper paruum tempus sumere licebit, ut ante dicendum res dispiciamus. Cicero certe initia orationum scripsit, cetera cogitatione complexus est, subitis ex tempore occurrit. Sed etiam libellum, quem respicias, manu tenere licet.

Ars rhetorica secundum Quintilianum

Schola XV: De memoria. De pronuntiatione (actione)

55. Tantum potest **memoria**, ut merito *thesaurus eloquentiae* dicatur. Ea quamquam naturae debetur, **arte** et ratione adiuuatur. Cuius rationis Simonides poeta perhibetur inuentor esse. Qui cum in conuiuio triclinium subito collapsum conuiuas ita oppressisset et confudisset, ut corpora mortuorum ad sepulturam discerni non possent, tum ille memor ordinis quo quisque discubuerat singulos notare ac suis reddere potuit. Hinc eum cognouisse *iuuari memoriam signatis animo sedibus* et extitisse artem a Charmada, Metrodoro Scepsio aliis commendatam: Fingat orator cogitatione sibi **loca spatiosa**, uelut aliquam *domum magnam et in multos diductam recessus*. Quae talis esse debet ut *sine cunctatione ac mora partis eius omnes cogitatio possit percurrere*. Tunc certo ordine quidquid dicere uult singulis partibus earum aedium affigat, **simulacra** quaedam adhibens. Postea autem, cum in dicendo memoria opus est, percurrentis hanc domum eodem ordine a singulis locis ea reposcat quae quasi creditit. – Q. autem hanc artem (quae in *Rhetorica ad Herennium* fusius exponitur) ad quaedam prodesse, in ediscendis orationibus autem non utilissimam credit, quod neque omnium sensuum imagines adsint et *dicendi cursus dupli memoriae cura impediatur*. Ea potius suadet: ut per partes ediscamus, ut scriptis nostris in discendo utamur, ut uocem adhibeamus, ut bene composita memoriae mandemus. Sed omnia uincit *exercitatio et labor*. Nam Q. *ad libellum respicere uitiosum* putat. Memoria autem facit, ut quae dicimus non domo attulisse, sed protinus inuenisse uideamur. Quare simulandum esse interdum aliquid non meminisse.

56. Pronuntiatio siue actio est sec. Ciceronem *eloquentia quaedam corporis* (orator 55), diuiditur autem in uocem et gestum. Cuius uim maxime testantur actores scaenici, approbat Demosthenes notissimo dicto et Cicero, qui eam *unam in dicendo dominari* putat. Atque hic quoque natura arte adiuuatur, nisi est aliqua deformitas corporis, quam nulla ars uincere possit. In **uocis** natura autem spectatur *quantitas* et *qualitas*, quae in plurimas species discedit. Vocis bona augentur **cura** et exercitatione, quae oratoribus non in omnibus eadem est ac cantoribus et actoribus, quibus multo impensius uocem curare licet. Eo tamen pertinent etiam *ambulatio*, *unctio*, *ueneris abstinentia*, *facilis ciborum digestio*. Parcendum est uoci in pueritiae ad adolescentiam transitu. **Ratio** pronuntiationis autem est eadem atque ipsius orationis, sc. ut *emendata*, *dilucida*, *ornata*, *apta esse debeat*. **Emendata** est quae nil rustici aut peregrini habet; **dilucida** autem si uerba tota exierint et si oratio bene distinguitur. Vt in *arma uirumque cano* suspendenda uox est, item post *primus ab oris* ... Distinctio denique post *uenit litora*, quia *inde alias incipit sensus*. **Ornata** est quae simul aequalitate et uarietate excellit. Varietatem demonstrat in principio orationis pro Milone habitae (inst. 11,3,47):

Nonne ad singulas paene distinctiones quamuis in eadem facie tamen quasi uultus mutandus est? *Etsi uereor, iudices, ne turpe sit pro fortissimo uiro dicere incipientem timere*: etiam si est toto proposito contractum atque summissum, quia et exordium est et solliciti exordium, tamen fuerit necesse est aliquid plenius et erectius dum dicit *pro fortissimo uiro* quam cum *etsi uereor et turpe sit et timere*. Iam secunda respiratio increscat oportet [...]

Hic Q. uitia quaedam castigat, ut eorum qui cantent, non dicant. **Apta** autem pronuntiatio est, quae rebus de quibus dicimus accommodatur, praecipue animi motibus nostris.

57. In gestu partes primae sunt **capitis**, in quo uultus, oculi, palpebrae, supercilia ualent. Praecepta dantur etiam ceruici et umeris, deinde bracchio et **manibus**, quae *prope est ut dicam, ipsae loquuntur*, cum *poscimus*, *pollicemur*, *dimittimus* etc., ut is quasi *omnium hominum communis sermo uideatur*. Vitandi tamen gestus sunt qui res imitatione significant. Adhibendi sunt **digitorum** gestus, quorum Q. uiginti figurae enumerat incipiens a *maxime communi quo medius digitus in pollicem contrahitur explicitis tribus*. Debet autem manus a sinistra duci ad dextram, ita ut cum sensu incipiat et deponatur. Nec negligendi sunt pedes, qui interdum ambulare debent; capillis quoque et togae cura est adhibenda. Ea initio actionis apte sedere debet, sub finem etiam solui decet. Sic Q. singulas partes orationis apta actione instruit. Quae nimis agitata esse non debet, ne *perdamus uiri boni et grauis auctoritatem*.